Venerabili et erudito D. Magistro Johanni Hesso Canonico S. crúcis Wratislav: dto 1518. 25.

S. D. Recitavit mihi nuper literas ad te túas quidam tuus coaúlicus Olsna apud Illustrem Ducem cum essem, eo à Rx:mo. Dño nostro missus, quæ mihi risúm excitaverúnt non mediocrem, non potuiq; non condolere tibi parum æquo animo pacienti Italicam parsimoniam, victusq; temulatem homini Germano inusitatam. Vici mehercule Democriti risúm, dum legi tuis Germanicis in literis cúcúrbitúlarúm, cicercúlorum, fabarumq; et herbarum, quas súes vix edunt, in cibis usum. Miserum te, qui nunc istic pro grandi ære esuris, hic qui cum Lucoro basilici esitasti. Mirum in cujuspiam in ædes diverteris, qui tribus in diem granis cumini victitat, Novi ego Bononienses obsonatores, nugas agúnt. Aër isthic, út docet, ita et fatigat homines. Sed heus in perfer et obdura, Sauromanum tibi exemplum statue, qui nunc decimum in annum dulciter esúrit. Quem tú hominem hortare, suis nobisq; ut se restitúat tandem, nolitq; últerius nos expectantes differre. Occinet tibi in aurem, tempus abire tibi est. Cujus causa ego me in Slesia adhuc contineo, alioqui pisculenta est Slesia, qui fugam adornabam. Logus tuo suasu Vienna dissoluto ære alieno admodúm grandi huc propediem redibit. Dominicus à labore Cancellariorum abdicare se studet, ad Valentinúm itur. Iterum naufragium facere, qui non vult. Sauri recentas illas in Italia per te coëmptas nondum accepit, quas valdè expectat. Nos nimis celeriter nuptiatum addricem Lygnicen. Nisi nimium esuris, rescribe Ursino, qui mallet esúrire tecúm, quam cum te et Sauromanno satúr esse. Vale. Vratislaviæ XIII. Novemb: M.D.XVIII.

C. Ursinus